

Martin Gottschalck Johannes Westarpf

Dissertatio Iuridica De Matrimonio Illicito

Rinthelii: Wächter, 1677

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798477504>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (78.)

1. Philippi de delegatione.
2. Carpzow de jure fisci circa bona ob defraudatum falsa professione
centum in commissum cadentia.
3. Carpzow de restitutione in integrum minorum.
4. Schwendendorfer jus noctis.
5. Idem de jure circa pecudes.
6. Idem de jurisdictione feudali dominica.
7. Idem de exceptione.
8. Bastineller de denunciatione civili, canonica et evangelica.
9. Nicolai de jure terminorum et finium.
10. Reinmann de re trovendendo. pactum.
11. Leickherr de eo quod interest.
12. Geiger de eo quod iustum est circa redemptionem annui redditus.
13. Teator de usurpationibus.
14. Lincken de juri Justiniani receptione et auctoritate in Germania.
P. 1. et 2.
15. Gottschalck de matrimonio illicito.
16. Wippermann de commentariis.
17. Pettel de fructibus.
18. F. Gerder de mutuo civitatum.
19. Friedlieb de jure revocandi feuda sine consensu quorum interest alienat.
20. Pafor. elementum aquae.
21. Klein Schmidt de beneficio inventari.
22. Woltermann de constitutionibus principum.
23. Doctermann de nequitia advocatorum.
24. de receptu rerum. Dreher.
25. Frommann de ficta seu quasi traditione.
26. Stendorf de officio judicis.
27. Breit sprach de protractione et abbreviatione litis.
28. Rachel de justitia universali.
29. Idem de jurisprudentia.
30. Faloxner jura conviviorum.
31. Idem de sub et obreptione.

33. Martini de antichresi.
34. Wedderkopp de moratoria praescriptione.
35. Struv de dedicatione templorum et altarium.
36. Sincx de iudicio penitentium.
37. Mühlppfort de aestimatione in genere et in specie de justa.
38. Strausf de privatione legitimae.
39. Lederer de iure cursuum publicorum.
40. Naevius de gerada Saxonica.
41. Schultz de aneclogiis.
42. Petr. Müller de constituto possessorio.
43. A. Beier de reciproco conventionali. Von Hufschmitt.
44. Reyher de intervallo ejuoq. iuribus.
45. G. Engelbrecht de culpa.
46. P. Müller de securitate metuentium.
47. Rhadius de dubitante.
48. Schulzen de commodo propter tertium.
49. Schulzen de conditione iurisjurandi.
50. Schubart de ludis equestribus. Quirinus.

1578

Dissertatio Juridica
De
**MATRIMONIO
ILLICITO**

QUAM
DEO OPT. MAX. assistente

PRÆSIDE
VIRO Magnifico, Amplissimo & Consultiissimo

DN. MARTINO

BOZSCHAEK

J. U. D. Decretalium Professore celeberrimo &

p. t. R E C T O R E

Domino Patro ac Hospite suo atatem de venerando.

IN
ILLUSTRI ACADEMIA
HASSO-SCHAUMBURGICA

Publica disquisitioni subjiçiet

JOHANNES VVESTARPF.

Berolin. Marchic.

A. & R.

IN AUDITORIO JCTORUM

horis consuetis

Ad d. Januarii Anno M DC LXXVII.



RINTHELII, typis Wächteri, Acad. Typogr.

VIRO
Generoso & Nobilissimo
DNO. FRIDERICO
de JEHNA,
Serenissimi ac Potentissimi Electoris
Brandenburgici Consiliario Status In-
timo, rerumque Feudalium Secreta-
rio, Hæreditario in Wülsterhausen.

VIRO
Nobilissimo ac Magnifico
Dno. FRANCISCO Meinders
ejusdem Serenissimi ac Potentissimi Electoris
Brandenburgici Consiliario Status
Intimo, &c.

VIRO
Nobilissimo & Excellentissimo
Dno. JOHANNI GERLINGIO
Consiliario itidem Electorali dignissimo &
Archivario vigilantissimo.
*Dominis Patronis ac Promotoribus submisso observantia
cultu æternum prosequendis.*

*Hæc studiorum primicias
submisit offert*

I. WESTARPF.



I. N. D. N. ꝑ. C.

THES. I.



Matrimonium est bonum

quoddam consistens in virtute, i. e. in mediocritate, nempe inter intemperantiam & insensibilitatem, & est conjunctio quædam cum quibus oportet, ubi oportet, quando oportet, & ratione cujus oportet, & hoc est medium seu mediocritas in qua virtus consistit, 2. *Erb.* Veteres I&I

quidem ex Gellio 3. *Noct. Attic.* 2. Etymologiam matrimonij, sic deducunt, quod uxor in manum mariti venerit, ubi tamē compilatores Pandectarum loco phrasi. *in manum conveniende* in matrimonium convenire supposuerunt, ut in *l. uxorem* 15. ff. de rit: nupt. & in *l. ex ea parte* 121. §. 1. ff. de V. O. add. *Dn. Herm. Vult. ad §. nuptia. l. de P. P.* Alii ex similitudine desumpta à terra etymologiam deducunt, & sicut terra ex qua omnes fructus nascuntur, dicatur mater, ita ea conjugatio maris & sceminx ex qua omnes homines nascuntur, merito dicenda sit mater omnium eamque appellandam esse matrimonium; Alii ita deducunt à matre, non quod jam sit, sed quod mater ex nuptiis fore speretur, mulier, enim nubitur mater efficiatur, Auctore Gellio *lib. 18. c. 6.* derivante matrimonij etymo.

A

tymo



tymologiam à matris nomine nondum comparato sed compa-
do. *Gregorius. q. c. 2. x. de conversione infidelium* inde deri-
vat, quia mulier in partu, & ante & post partum varios labores
sustinet: vel tandem, quia mater certa est, cum tamen Pater in-
certus sit, l. 5. ff. de in jus voc.

I 1. Hinc facile concludi potest, quod brutorum con-
junctio matrimonium dici non possit, quamvis omnia anima-
lia plerumque sibi quarant similia & ad hæc moveantur à pro-
pria eorum natura, veluti ad bonum seu jus naturale, i.e. sibi
conueniens secundum propriam cujusque naturam, uti Doctæ
deducit *Vacun. à Vacun. lib. 1. declar. 3. n. 3.* natura enim
desiderat multa similia efficere, sed impossibile est, foeminam
sine mare & marem sine foemina hoc adimplere, ob hanc igitur
rem à natura est ordinata maris & foeminae conjunctio in
brutis vero animalibus hoc fit absque ratione. *Aristot. I. Oe-
conom* & hoc est quod *Idus. Ulpian. in l. 1. §. 3. ff. de just. &
jur. dicit: hinc enim.* (i.e. ex hac natura:) *descendit maris
& foeminae conjunctio.* Quæ conjunctio per se bona est, cum
inter bruta animalia conjunctio illicita esse non possit, illicitum
enim & iniquum est, id quod est contra leges *Arist. 5. Eth.*
Sed conjunctio maris & foeminae per se nulla lege prohibetur,
cum ipsa natura præcepit fieri talem conjunctionem ubi crea-
tis animalibus dixit: *Crescite multiplicamini & replete terram,*
ideoque illicita hæc conjunctio in beluis esse non potest, in
hominibus vero conjunctio illicita aliquando fieri potest, cum
illicitum à natura hominum, quæ instructa est ratione, depen-
det: ideoque illicita conjunctio est vitium aliquod i.e. intem-
perantia à prava ratione, non verò à natura fluens, cum na-
tura semper invitet ad honesta, *Arist. 1. Eth.* mala enim agere
in nostra est potestate & voluntate *Arist. 3. Eth.* & ita in hoc
consideranda duo veniunt, conjunctio scilicet maris & foeminae
& qualitas illa illicita, quæ ratione conjunctionis hominum
oriri solet, conjunctio per se est bona, cum à natura ordinata
& præcepta, qualitas vero illicita est à nostra voluntate, cum
fit vi.

fit vitium quamobrem mala est & peccatum, ideoque legis
authoritate punienda §. 12. *f. de nupt. vid. l. 1. & 6. cum. Auth.*
seq. C. de incest. & inuul. nupt. l. 18. C. de adul. Cavarruv. de
matrim. p. 2. c. 6. §. 8. Christin. vol. 3. Dec. 129. Danhaud.
prax. Crim. c. 94.

I I I. Quoniam igitur ex dictis patet hæc conjuncti-
onem maris & fœminæ ex dictamine rectæ rationis ad generis
humani perpetuitatem dependere, satis intelligitur in quo con-
sistat differentia conjunctionis animalium brutorum & homi-
num: nam quamvis noster Ictus primo intuitu *in l. alleg. 1.*
de f. & f. & §. Ias naturale f. de f. N. G. & C. has conjun-
ctiones confundere videatur, tamen Ulpianum, ex simplicis
sima eorum sententia, qui per quandam auxesin & figurate hæc
à Icto dici scribunt; excusandum esse statuimus. Cum igitur
matrimonium sit viri & mulieris conjunctio individuam vi-
tæ consuetudinem continens §. 1. *f. de P. P.* possunt facili-
via hac definitione posita intelligi, quæ nam sint matrimonia
illicita, & hinc regula est statuenda vulgaris, quod cui non
competat definitio, ei nec definitum *l. 1. §. 2. vs. Labeo ubi*
Glossa ff. de dol. mal. Bartol. in l. 1. ff. de testib. & verbo dicen-
dum, quod quæcunque conjunctiones hominum hanc non me-
reantur definitionem. omnes dicantur matrimonia illicita, &
cum in tradita definitione matrimonii conjunctio intelligatur
legitima, illa omnis intelligitur illegitima quæ contra leges fa-
cta, opposita enim juxta se posita magis elucescunt.

I V. Quæ autem justa quæ nam injusta dicenda sint
matrimonia id ex Jure sive lege æstimandum est; unde justa ma-
trimonia dicuntur legitima, injusta illegitima, ut constat
l. lex natura. 24. ff. de stat. hom. l. de jure 37. §. fin. ff. ad muni-
cip. prout igitur cujuscunque Reipublicæ leges sunt de matri-
moniiis, ita legitima illa sunt vel illegitima, nimirum secundum
illas contracta: atque ideo in Repub. Romana sola sunt legiti-
ma, quæ secundum leges Romanas, vel ut ait Justin. secun-
dum præcepta legum, contrahuntur; §. Justas f. de nupt. Cæ-
tera omnia secundum illa præcepta non contracta in Republ.

A 2

Re.



Romana habentur pro illegitimis vid. *D. Her n. Vult. in Com. ad*
7. §. 1. n. 1. de nupt. commodissime igitur Illicitum matrimo-
monium describi potest quod sit commixtio maris & foe-
minæ sub colore matrimonii contra prohibitionem ju-
ris facta.

V. Observandum autem circa hæc: non omnia matri-
 monia illegitima sive illicita statim esse nulla, cum illud quod
 est illicitum vel illegitimum non protinus sit nullum: nulla e-
 nim sunt de facto ita contracta, ut ne jus quidem naturale aut
 Gentium sibi habeant assistens, imo ipsi repugnant, quæ o-
 mnino nullum habent effectum *§. si adversus 7. de Nupt. &*
quæ de jure Divino & naturali prohibentur, incestæ & nefar-
riæ nuptiæ in jure dici solent. de quibus est tit: in C. de incest.
& inutil. nupt. & in Auth. Nov. 12. de incestis & nefar. nupt.
 Illegitima autem matrimonia quæ sunt respectu Reipub. Roma-
 næ illicita, respectu Reipub. alterius, & nimirum illius in qua
 & secundum cujus leges contracta sunt, legitima sunt & di-
 ciuntur, propterea *Imperat. in pr. 7. de nupt. dicit: nuptias in-*
stas inter se Cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta
Legum i. e. Romanarum coeunt: interea tamen Turcæ nihilo-
 minus nuptias contrahant, licet non sint Cives Romani & hæc
 matrimonia quamvis jure Romano dicenda essent illegitima,
 jure tamen Turcico aut jure cujusque suæ civitatis aut Reipub-
 licæ contracta, sunt legitima, hinc sequitur omnia nulla ma-
 trimonia quidem esse illegitima, non autem contra; quod de-
 ducit *Vult. §. 1. 7. de nupt. add. l. si uxor 13. §. plane ff. ad L. Jul.*
de adul.

V I. Illicitorum igitur matrimoniorum prohibitio ad
 duo capita revocari potest; nimirum respicit vel personas inter
 quas prohibita sunt, vel modum sive formam personas illas non
 jugendi.

V I I. Quod ad personas attinet, in Republica Roma-
 na nuptias licite non contrahunt, qui jus connubii non ha-
 bent i. e. qui non habent facultatem sive potestatem uxoris
 ducere & marite nubendi, quibus igitur legibus ju-

est concessum, illi non habent hanc facultatem, & quibus illa facultas prohibita, illis legibus non est concessa: prohibitio enim vel solius legis positivæ est, vel una cum lege, etiam naturæ.

V I I I. Lege & natura simul prohibentur vel illicita sunt matrimonia vel propter necessitudinem vel defectum aliquem animi vel corporis, & intelligitur tam affinitatis quam cognationis necessitudo: In linea Recta cognationis matrimonia illicita sunt in infinitum §. 1. *ff. de nupt. & l. 23. ff. de rit: nupt:* Cognatio autem illa triplex est, vel mere naturalis, mere civilis & mixta: naturalis est, quæ illegitimo coïctu contrahitur, mere civilis quæ per adoptionem constituitur, mixta est; quæ ex iusto matrimonio provenit, utroque jure concurrente *l. 4. §. 2. ff. de grad. & affin.* Pura naturalis cognatio eandem habet prohibitionem, quam mixta *l. 14. §. 2. l. § 4. ff. de rit. nupt.* Itaque quæcunque de hac statuuntur, etiam ad illam pertinere existimandum est. *Vinnius ad §. 1. n. 1. in fin. ff. de nupt.* Propter merè naturalem prohibitionem illicita sunt matrimonia inter illas personas, quæ aliàs in jure dicuntur necessarii, qui ex necessitudine, qua invicem sibi sunt devincti, dicuntur necessarii: hæc necessitudo est quædam hominum inter se relatio, ex sanguine vel ex nuptiis proveniens: quæ ex sanguine necessitudo est, in jure dicitur cognatio, quæ ex nuptiis est, dicitur Affinitas. *l. fin. ff. de I. & I. l. hac autem. §. 1. ff. quibus ex caus. in poss. eatur.*

I X. Hæc cognatio autem duplex est vel naturalis, vel civilis, *l. 4. §. cognationis ff. de grad. & affin: l. nec ei. 17. §. 1. ff. de adopt.* Naturalis est illa, quam sola novit natura non etiam lex, eademque ex sola scemina æstimatur *d. l. 4. §. cognationis V. & quidem,* & hæc iterum est duplex, unam ita lex novit, ut tantum permittat, quæ est in cognatione servili *l. adoptivus 14. §. 2. ff. de rit: nupt: l. 1. §. 2. ff. unde cognati. l. 4. ff. de in jus vocand. l. fin. §. illud. C. de bon. libert. & deinde in cognatione concubinaria *l. 3. §. 1. ff. de concubin. al-**



teram tam non novit ut etiam damnet, quæ est inter vulgo qua-
 sitos l. 2. ff. unde cognat. aliosque illegitimos. Hujus cogna-
 tionis effectus sunt in natura & honestate naturali, nulli in ju-
 re civili l. adoptivus 14. §. 2. ff. de rit: nupt: l. Ictus 10. §. non
 parcimus 5. ff. de grad. & Affin. Civilis cognatio est, quam
 Lex novit & approbat, quæ itidem duplex est, civilis & na-
 turalis simul, vel civilis tantum l. 4. §. 2. ff. de grad. & affin:
 Civilis & naturalis simul est cognatio sanguinis legitimis con-
 ciliata nuptiis: quæ rursus est vel cognatio specialis, vel agna-
 tio §. 1. §. de Legit. Amat. Tut. d. l. Ictus §. inter agnatos. l.
 penult. ff. unde legitim. Cognatio specialis est cognatio per fœ-
 minam, ejusmodi est inter consobrinos d. §. 7. l. de legit. a-
 gnat. tut. Agnatio est cognatio per marem ex eadem familia,
 ejusmodi est inter fratres & patruales l. sunt autem 6. ff. de le-
 gitim. tut. atque hæc agnationem esse nomen juris Civilis,
 Textus est in §. fin. §. de legit: agn. tut. Civilis cognatio tantum,
 vel ut Modestinus loquitur, cognatio civilis per se, quæ etiam
 legitima dicitur l. 4. §. 2. ff. de grad. & affin. est illa quæ le-
 gibus duntaxat per adoptionem constituitur, quasi sanguine
 juris fictione copulata, quæ est inter adoptantem & adoptatum
 & deinceps inter adoptatum & adoptantis agnatos, atque adeo
 juris potius quam sanguinis communione constituta d. l. 4.
 §. pen. l. §. cognationem. ff. unde cognat.

X. Porro cognatio omnis distinguitur lineis, quæ di-
 cuntur stemmata, in l. 9. ff. de grad. & adfin. sive limitibus:
 Lineæ vero distinguuntur gradibus de quibus agunt Icti in l.
 1. 2. 3. & 10. ff. de grad. & adf. Hottoman. in lib. de grad. Be-
 za in tract. de divort. & repud. cujus rei cognitio ad quid con-
 ducat retulit Paulus Ictus in l. Ictus in. pr. & præter usus ab il-
 lo relatos, usus etiam est in matrimoniis. l. fin. ff. de rit: nupt:
 & in jure retractus per constitut. Trid. Imper. de jure negoti-
 phor.

XI. Linea est collectio personarum ad eundem stipitem
 relatarum, quæ duplex est, recta & Transversa l. 9. & 10. ff.



de grad. & adfin. & Nov. 118. Linea recta quæ etiam limes directus dicitur in d. l. stemmata. 9. est inter Parentes & liberos quæ ex eo iterum duplex est, superior una, altera inferior d. l. 1. 9. & 10. superior est Parentum, inferior liberorum: Hinc Parentes ad liberos collati Ascendentes liberi ad Parentes, descendentes appellantur d. Nov. 118. Parentum autem appellationem habent, Pater, Mater, Avus, Avia, Proavus, Proavia, Abavus, Abavia, Atavus, Atavia, Tritavus, Tritavia, qui supra hos sunt communi nomine omnes appellantur Majores l. 4. de in jus voc. qui tamen ipsi nomen Parentum retinent, d. l. 4. §. parentum l. 1. §. generaliter ff. de Legat. prestand. tametsi specialioribus nominibus haud sint insigniti. Liberos appellationem habent, filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis, atnepos, atneptis Trinepos, trineptis, qui infra hos sunt ulterius, communi voce appellantur posteri, §. fin. 7. qui testam. Tut. dar. l. 1. & 4. ff. de jure immunit. l. quod his verbis, in fin. ff. de Legat. 3. item posteriores, d. l. 10. §. 7.

X I I. Transversa linea est inter fratres & sorores l. 1. 9. & 10. ff. de grad. & adfin. ex eo dicta, quod cum de cognatione aliquorum est quaestio, primo omnium quaerendus sit stipites proximus, communis utrique, & ab hoc communi stipite transversim eundem, & quasi ad latus, unde collateralis lineæ nomen est & collateralium cognatorum, ut exinde intelligatur quæ nam inter utrumque sit cognationis ratio atque hoc quidem ex lineis in genere intelligi potest, sed in specie magis ex gradibus quibus istæ lineæ distinguuntur: Quemadmodum enim plures gradus sunt scalæ ex quorum uno in alterum ordine suo, nullo relicto intermedio, deveniatur; ita etiam lineæ quæ instar scalæ est, gradus complures sunt, ex quibus transitus fit de alio in alium: atque inter Parentes quidem & liberos scala sive linea, ad cognoscendum gradum, unica sufficit, eaque recta, inter cæteros autem præter rectam, requiritur.



requiritur etiam transversa l. 10. §. nam quoties 8. ff. de grad & adfin.

X I I I. In linea igitur recta cognationis illicita sunt matrimonia in infinitum §. ergo non omnes 7. de nupt. l. nuptia 53. ff. de rit. nupt. l. nemini C. cod. & in summo gradu hæc matrimonia illicita dici possunt: nam in his tanta est turpitudine & fœditas, ut naturâ omnes à tali conjunctione abhorreant, & sua ipsorum conscientia redarguantur necesse sit, qui hæc naturæ jura violant, adeoque execrabilia habeantur, qui vel per ignorantiam hæc committunt. vid. Vinnius ad I. §. 1. de nupt. qui etiam de Nerone refert exemplum quod ille ob incestum magis, quam ob reliqua facinora detestabilis factus fuerit; imò insita est in ipsis affectibus fuga quædam commixtionis cum parentibus & ex se natis, à qua etiam quædam animalia muta naturaliter abhorre ex Seneca refert Vinnius alleg. loc. quod adeo verum est, ut nec illi, qui per adoptionem, atque ita civili duntaxat jure parentum liberorumve loco sibi esse cœperint, sponsalia contrahere, aut matrimonio jungi possint, etiam post vinculum adoptionis solutum, cum tamen tunc nec natura nec jure amplius sint cognati. §. et hac adeo 7. de nupt. l. quin etiam 55. & l. adoptivus ff. de rit. nupt. l. qui in adopt. 23. ff. de adopt. unde vulgatum illud est, Adamum si etiam nunc viveret, uxorem ducere non posse, quoniam omnes quotquot sumus. Adamo in descendenti sumus linea, quod idem dici posset de Noacho. Et in hoc jus Pontificium cum jure civili pulchre convenit; in linea autem transversa sicut varietas erat in computatione graduum, ita etiam varietas est in matrimonii prohibitione,

X I V. Jure Civili in linea transversa inter eos qui sibi invicem sunt Parentum & liberorum loco, matrimonia sunt illicita & prohibita, veluti inter Patrum & neptem ex fratre inter Avunculum & neptem ex sorore, inter amitam & nepotem ex fratre, inter materteram & nepotem ex sorore atque ita deinceps. §. item amitam 7. de nupt. l. per adoptionem 17. §. ami-



tem ff. de rit. nupt: quod idem est in cognatis per adoptionem quamdiu nimirum adoptio durat l. per adoptionem ff. de rit: nupt. in cæteris gradus secundus & tertius prohibitionem habent: jure autem Pontificio plures gradus sunt prohibiti quam jure Civili, nam veterum Canonum jure nuptiæ prohibentur usque ad gradum septimum *caus. 35. quæst. 2. & 3.* sed jure novo usque ad gradum quintum exclusivè matrimonia prohibentur. *cap. non deber. de consang. & affin. Concil. Lateran. c. 50.* Cujus concilii autoritate Innocentius abrogavit priorum Pontificum decreta, qui usque ad septimum gradum nuptias inhibebant. *vid. de hisce alleg. Vinnius. ad l. ad. §. 4. de nupt.*

XV. Hæc matrimonia nuptiæ solent vocari nefariæ propriè, quæ inter ascendentes & descendentes contrahuntur, in infinitum, sive sint naturales & legitimi simul, sive naturales tantum, vel etiam spurii & incestuosi l. nuptia 53. junctâ l. seq. & l. fin. ff. de rit. nupt. *Schneidov. ad t. de nupt. n. 3.* Incestæ vero propriè dicuntur, quæ inter collaterales consanguineos in primo & secundo gradu lineæ inæqualis contrahuntur, nam & is gradus jure Divino etiam est prohibitus *Levit. 18.* quamvis aliqui inter nefarias & incestuosas nuptias non distinguant; uti Cujacius Accursium & Hermenopolum differentiam facientes inter nuptias nefarias & incestas reprehendit in expositione. *Nov. 22. vid. Dn. Herm. Vult. in Com. ad l. §. 1. de nupt.*

XVI. In lineâ transversâ æquali, inter fratrem & sororem illicita sunt matrimonia *Levit. 18. 9. 20. & 17: Deut. 27. & 20.* Quæritur hic, An isthæc interdictio de non ducendâ sorore sit perpetua ac moralis? quod per textus. *Levit. & Deut.* expressè affirmatur, quando DEUS ita ad Moysen dixit: *maledictus omnis qui dormit cum sorore suâ & alibi: qui acceperit sororem suam nefariam rem operatus est, & in conspectu populi occidetur vid. alleg. textus* adeoque ex abominationibus propter quas Dominus Cananeos extirpavit, hæc una fuit *Levit. 18. in fin.* ex solo ductu naturæ *Cicero Lib. 1. de Divin.* commixtionem fratris & sororis nefarium stuprum appellat



pellat. Hinc a. quaritur: Anne Abel & Cain graviter peccaverint, vel anne illi & successores incestum juris naturæ commiserint, quando cum sororibus suis cohabitarunt? ad hæc respondendum puto, quod sicuti omnia jura sive sint Civilia sive Gentium in circumstantiis posita sunt *l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* sic etiam & jus Naturale: & ita illi casus tum temporis fuere necessitatis & tacitæ Divinæ dispensationis: nam cum juberet Deus propagari genus humanum nec plures simul sceminas condidisset, satis intelligitur hanc fuisse ipsius voluntatem, ut fratri ex sorore sobolem tollere fas esset, quod postea ipsa natura docuit non licere: quam controversiam tractat Augustin. *lib. 25. de civitat. DEI cap. 16.* ubi dicit: *quanti est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damabilius religione prohibente.* videatur de hac quæstione etiam Covarruv. *de matrim. p. 2. c. 6. §. 10. n. 15. Dn. Tulden. ad rit. de nupt. cap. 6.*

X V I I. In lineâ transversâ inæquali illicita quoque sunt matrimonia inter eas personas quæ parentum liberorumve loco sunt, in infinitum *l. per adoptionem 17. §. 2. l. sororis 39. ff. de rit. nuptiarum.* & sic in jure Divino DEUS expressè vetat amicæ & materteræ nuptias *levit. 18. v. 12. & 13.* atque & hanc prohibitionem perpetuam esse & partem legis moralis, ex iisdem ferè argumentis evincitur, quibus fratris & sororis matrimonia naturæ & honestati repugnare dixi.

X V I I I. De affinitatis necessitudine porro dicendum superest, quæ ex eo ita dicta, quod duæ cognationes diversæ eâ copulantur, & una ad alterius fines accedit *l. 4. §. sed quoniam ff. de grad. & affin:* & sicuti glutine duo asseres, sic nuptiis duæ cognationes ita junguntur, ut extrema tantum jungantur & fines; ut in notis suis posteriorib. *n. 17.* eleganter exponit Cujacius. Affinitas est accessitudo ex nuptiis contracta *d. §. sed quoniam.* sed hæc inter maritum duntaxat est & cognatos uxoris, item inter uxorem & cognatos mariti, non etiam inter cognatos mariti & uxoris. *d. §. Affinitas autem jure Civili nullis est.*

delecta



descripta lineis, sicuti cognatio, multò minus gradibus *d. l. 4.*
§. gradus autem est tamen inter affines etiam quidam Parentum
 & liberorum instar, sicuti & fratrum & sororum inter se re-
 spectus *d. l. 4.* *§. hoc itaque.* Parentum quidem, cujusmodi
 Gener, Nurus, Privignus, Privigna, Progener, Pronurus *l. 3.* *§.*
item Pomponius ff. de postul. d. l. 4. *§. & quidem.* quod ad pro-
 hibitionem attinet, cum inter cognatos mariti & uxoris proprie
 affinitas non sit, frustra queritur, an illi matrimonio jungi
 possint? siquidem dubium nullum est, quin rectè id fieri possit,
 modò nihil aliud sit, quod id fieri impediatur. *§. affinitatis 7. de*
nupt. Inter affines verò, qui sibi invicem loco Parentum & li-
 berorum sunt, illicita existunt matrimonia *d. §. affinitatis* ita So-
 cer & Nurus, Socrus & Gener, vitricus & privigna, Inoverca
 & privignus, alique ulteriores matrimonio jungi non possunt
l. adoptivus 14. §. nunc videamus l. Aristo. 40. ff. de rit: nupt.
l. quia Parentis 16. ff. solut. matrim. l. fin. ff. de condit. sin-
causa. Qui verò matrimonia ex hisce personis contrahunt,
 incestas contrahunt nuptias juris Gent. Natur. & civil.

X I X. Hinc lubet subicere quæstionem: Num liceat
 alicui demortuæ suæ uxoris Novercam ducere? Sanè vetari hoc
 connubium de jure Civili Romano in aprico est, *per l. 15. ff.*
de rit: nupt: Ubi Papinianus: *uxorem quondam* inquit *Privi-*
gni conjungi matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonium
ei convenire, qui privigna maritus fuit. Eandem conjunctio-
 nem videtur àversari Lex divina, prohibens conjugium privigni
 cum Noverca & privignæ cum vitrico *Levit: 18. vs. 8:* hæc
 namque prohibitio propter unitatem carnis ad viduam vitrici
 & privigni extenditur *Carpz. in tract. de usu arbor. consang. c.*
4. n. 60. Nec desunt multi, qui pro inverecondo & turpi
 flagitio ducunt: ejusdem uxorem cognoscere, cujus quondam
 filiam cognoveris, *VViss. Disp. 44. n. 21. Beza de repud. c.*
div. p. m. 59. Hæc autem tanti non sunt, quo minus statuum:
 tale conjugium in se spectatum, esse extra vitium morale posi-
 tum, unde nec jus divinum nec Canonicum id detestatur *c. 8.*



X. de consang. & affin. Locus *Lev. 18. v. 8.* propter diversam rationem, effectum validum ad hunc casum porrigere nequit, & quod hic præ tenditur flagitium, honestatem naturalem non lædit: Liberum quoque est Legislatoribus suos Cives exercendi in temperantia & ulterius quid præcipiendi servandum, quod jus naturæ præcisè non exigit. Jus Civile Romanum in prohibitione hujus conjugii sectantur multi Principes, unde contingit, coitum cum vitrici sui vidua in protestantium Ecclesiis annumerari incestui, & commiscentes se, arbitrariè, vel carcere vel relegatione temporaria puniri. *Carpzov. tit. X. Resp. 112. n. 9:* Cessante igitur legis Civilis despositione, cessat flagitium & harum personarum conjunctio incestus maculâ non polluitur.

X X. Propterea in dubium frustra vocatur quæstio: An Princeps seu Magistratus superior in tali casu habeat facultatem dispensandi? Cui enim competit potestas figendi & refigendi leges, eidem non obstat ullum impedimentum, quò minus ejusmodi connubium contra jus positivum admittat; consentit *Carpz. in alleg. respons. n. 10.* quamvis huic asserto contradicere videatur in tract. de usu arboris consang. c. 4. n. 59. & 60. ubi prohibitionem hujus conjugii fundat in ratione honestatis naturalis & jure Divino: si hoc planum est, quomodo tuebatur jus dispensandi? non enim admittitur dispensatio in gradibus jure Divino prohibitis, siquidem dispensatio est relaxatio juris secundum tradita Canonistarum in cap. literas 13. post. Gloss. in vb. dispensare & verb. divina lege x. derogatur. spoliatur. At relaxari nequit ab homine vel Principe jus Divinum, nec valet contra id humana dispensatio. *Felin in cap. qua in Ecclesiarum 7. n. 23. de constit. Henn. Gæden. consil. 190. n. 171.*

X X I. Et tantum sufficiat ratione instituti agere de illicitis matrimoniis intuitu necessitudinis Personarum; inter alias quidem Personas de jure Civili prohibita sunt matrimonia, uti inter servos; inter Tutorem & pupillam l. 15. ff. de spons.



spusal. & t. t. de interd. matrim. inter tut. & pup. Porro inter Senatores & vilis conditionis fœminas *l. papia 23. ff. de rit. nupt. & l. si libertam 28. C. de nupt.* Inter Præsidem Provinciæ & ex ea oriundam *l. 38. & l. 57 ff. de rit. nupt.* & qui virginem de Sacro baptismate levavit. eam uxorem ducere prohibetur *l. si quis alumnam 26. in fin. C. de nupt. vid. Schneiduv. ad tit. de nupt. sub rubric. de nupt. illicitis. pag. m. 72.* sic etiam inter clericos illicitum ex pravis moribus est matrimonium: uti inter Monachos & moniales, quamvis non attendantur hodie tales prohibitiones. quarum in hac thesi mentionem feci. *vid. Panormitan. in cap. fin. n. 2. de secund. nupt. & antea alleg. Schneiduv. tit. de P. P. juug. Philippus in loc. de conjug. & in Ethic. de arbo consang. & affin.* De posteriori prohibitione Pontificiorum notandum, societatem hanc conjugalem quovis hominum ordinis & statu minimè esse indignam: Doctrina Ergò Pontificiorum qui Episcopis, Presbyteris, Sacerdotibus fibulam imponunt, imperato cœlibatu, est doctrina Dæmoniorum, *vid. cap. 3. 1. ad Timoth. & cap. seq. addat. cap. Nizena Synodus 12. dist. 31. Et Leo Imperator in Nov. 2. Justiniani Novellam 6. c. 1. quâ constituitur, ut qui Episcopus creatur, cœlebs sit & orbis ne affectu uxoris & liberorum dirimat Ecclesiæ facultates, doctè refutat; inde colligas: Justiniani Novellam in Ecclesia Orientali non diu durasse. Quin Innocentius 3. c. 6. X. de cleric. conjug. ingenuè faterur: Ecclesiam Orientalem votum continentis in ordinibus Sacris non admisisse. Insuper observatur inter Judæam & Christianam & Christianum & Judæam non licitè contrahi matrimonium; nam licet Judæi in Romano Germanico Imperio vivant, & statutis Civitatum licitè utantur *l. Judæi 8. C. de Judæis. Minsing. cent. 5. obs. 6.* & in foro temporali conversatio cum Judæis licita sit, & commercia cum iis exerceri jura expressè permittant *l. nemo C. de Judæis. Roland à Vala Volum. 1. conf. 35. n. 31. & 34.* tamen matrimonium inter Christianum & Judæam non permittitur, quia conversatio in foro animæ haud tolerabilis sit, ne scilicet in fide Chri-*



stiani corrumpantur *canon. saepe malorum. 12. caus. 28. quest. 1.*
 simul enim ad orationem nocte vobis surgendum est & conjun-
 ctis precibus obsecrandus DEUS; dicit Ambrosius. *can. 15.*
caus. 28. quest. 1. nimis autem rigorosè statuit Danhaud
in prax. crim. cap. 96. num. 28. ubi commixtionem inter Ju-
 dæam & Christianum sodomiticam appellat, eamque mortis
 pœna coercendam statuit & Parisiis quendam Johannem A-
 lardum, qui ex Judæa quadam, quam in domo sua retinuerat
 liberos suscepit, igne combustum meminit. *vid. Nicol. Boerius*
decis. 316. n. 5. Carpz. Jurisp. Rom. cap. 4. cent. 26. def. 4. & me-
ritò puniendos capitali pœnâ videri, tanquam manifestos apo-
statas, qui jam plus satis, patefactâ Evangelii veritate, cum a-
pertis ejus hostibus, veluti cum Mahumetanis ac Judæis Con-
nubia contrahant, statuit Beza in tract. de repud. & divort. p.
103. in eandem sententiam transit Covarruv. De matrim. part.
2. cap. 6. §. 11. n. 3. Tulden ad. Tit. ne Christianum mancipium
num. 2. Menoch. casu. 290. num. 1. & 2. Rectius autem statu-
 unt, qui pœnam adulterii decernunt & accusationem omnibus
 concedunt *Brunn. ad l. 6. C. de Judæis* unde tale delictum com-
 mittenti solent DD. pœnam fustigationis dicere. *Joh. à Felde*
in Elem. Jur. univ. p. 2. memb. 26. quod præjudicio confirmat
Carpz. d. loc. & ab eo alleg. DD. secus autem in primitiva Eccle-
 sia observatum fuisse apparet ex *1. Cor. 7. v. 12. & seq.* Prop-
 ter spem convertendi infideles *1. Petri. 3. v. 1. 1. Cor. 7. v. 16.*
 Cum hæreticis nuptias etiam improbat Ambrosius *cap. cave.*
15. caus. 38. quest. 1. Principem vero ejusmodi matrimonium
 cum Judæa & hæretico contractum ob spem probabilem per-
 mittere posse, statuit Dn. Brunman. *ad d. l. 6. C. de Judæis n.*
5. in fin. Huic infidelium turbæ non accensemus personas dispa-
 ris Religionis in Imperio Romano receptæ: Sane! reperies,
 qui Reformatos in conjugium cum Personis Lutheranz Re-
 ligioni addictis non admittant; tolerantur Catholici inter
 Lutheranos, eosdem in conjugii sacra recipiunt, utroque
 beneficio indignos æstimant Reformatos. Quæ ratio? di-
 cunt illi: fieri vix potest, ut admonitione spreta in errore
 per-



perseverantes Calviniani aliis scaundalum haut præbeant, & tandem seditionis clanculariæ semen spargant, quæ vel solâ expulsionis causa sufficere posset, nedum severior obineat coercitio: unde & Chemnitius suadet, ut Zwinglianos dogmatistas, tanquam cornupetas bestias & homines in filium DEI blasphemos à suis finibus arceant. Nec juvat (inquiunt.) Calvinianos exemplum Catholicorum; non enim Calvinistæ ut Pontificii sub pace Religionis sunt comprehensi *Carpzov. in Jurispr. Conf. def. 266. n. 14. 15. & seq.* Ideoque inter Personas Catholicæ & Lutheranæ Religionis additas, conjugium non est simpliciter prohibitum *Idem in Jurispr. Confistor. l. 2. def. 6. n. 23.* Cæterum hanc calumniam diluunt Reformatorum Synodice confessiones, diluunt eandem illorum vita & mores. Commentum quoque de Reformatis sub pace Religionis non comprehensis, valide concussum & tandem Anno 1648. per Instrumentum Pacis Cæsareo Suecic. *art. 7.* planè subversum est, ut si non meliori saltem pari jure Reformatum Catholicis gaudeant, illisque propter Religionem non debeat inferri molestia.

XXII. In personis ulterius considerandum superest, quomodo respectu eorum illicita possint dici matrimonia, in qua prohibitionem attendi debet defectus ipsarum personarum qui duplex est, corporis vel animi; Corporis defectum quod attinet: Inter illos, qui istius ætatis non sunt, quâ idonei de jure ad generandum reputari possunt, illicitum est matrimonium, de quibus personis Aristotelis sententia *lib. 7. Polit. cap. 16.* est, personas quæ conjunguntur non debere esse nimium juvenes nec nimis senes. Priorem partem his rationibus confirmat: 1. quod liberi aliâs parentibus ætate non multum distantibus vix honorem debitum sint exhibituri 2. quod ex hujusmodi matrimoniis nascantur liberi infirmiores ad Institutionem rectam suscipiendam & alia munia obeunda minus idonei; 3. quod festinati concubitus ipsis obsint Parentibus. & justo corporum incremento non rarò contingat, ut uxores ob teneram ætatem doloribus ferendis impares moriantur in partu 4. quod foemine ex præmatura concubitu reddantur ma-



gis libidinosæ & incontinentiores, ideoque Aristoteles masculos vult conjungi circa annum 36. scēminas circa annum 18. quod ita uterque parens æqualiter terminum & finem generationis, qui in illo circa annum 60. in hac circa annum 50. contingit, sit assequutus, in quam sententiam & Plato sepe descendit *lib. 5. de Republ.* ubi masculis 30. scēminis 20. annum præscribit & *lib. 6. in fin. de legib.* tempus legitimum nuptiarum in scēminis ab anno 16. usq; ad 20. in masculis ab an. 30. usq; ad 35. definit; & ita olim Hesiodus *lib. 2. operum & dier.* voluit scēminam nubere circa an. 19. sed virum circa an. 30. Ab his autem Institutis longe abeunt LL. Romanæ, secundum quas legitimum tempus pubertatis in masculis 14. in scēminis 12. annus habetur: cujus rei præcipua Ratio, quod eo tempore natura ad nuptias habiles facit, & expedit Cives ita adulescere, ne occasio illis detur, respiciendi ad illicita, sed ut invicem conjuges & animos & corpora afferant pura, quo pertinet illud Claudiani ad Stiliconem *lib. 2. & primos in Conjuge disceret ignes. Tacitus in lib. de morib. German.* Sera, inquit, Juvenum venus edque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur, pares validique miscentur & robora Parentum liberi referunt. Accedit his quod Romani perpetui bellatores, & non rarò propriis viribus & urbano milite bellagentes, nisi multâ prole accrescente, bellis illis sufficere vix potuissent; quare etiam postea maritis & patribus præmia, orbis & cœlibibus pœnæ constitutæ fuerunt, quod effectum maximè LL. *Jul. de maritand. ordin. & L. Pap. Pop. de quibus Cujacius ad l. 2. ff. de excusat. tutor. vid. Hottomannus in descript. LL. Romanar.* Inter hæc præmia etiam fuit immunitas à muneribus Civilibus *l. 1. pr. l. 2. de vacat. mun.* & sic à Tutelâ & Curâ liberabantur, qui Romæ, habebat 3. liberos, in Italia 4. in Provinciis 5. *pr. 7. de Excus. Tut. vel. Curat. l. 2. §. 2. de Excus. tut. l. 1. C. qui num. liberor. vid. Vinnius. ad. 7. de Excusat. Tut.* Ratio ob quam scēminæ citius puberes & habiles ad conjugium fiunt *l. 4. ff. de rit. nupt. & l. 10. de cond. & demonst. præter illam Accursii facetam, quod mala herba citius crescat, &c.*

Item

Item quòd mulier se habeat passivè, & facilius sit pati quam agere, redditur à Macrobo, *lib. 7. Saturni, cap. 7. Arist. lib. 4. de generat. anim. cap. 6.* quòd fœmina sit humidioris naturæ & incalcescat citiùs, & cum maturiùs in illis cesset, rationis est, ut & citiùs in illis vis generandi incipiat *Arist. lib. 7. politic. 17. Macrobo. in somn. Scip. c. 6.* Juris verò Pontificii Auctores pubertatem metiuntur ex potentiâ coeundi, non ex numero annorum *cap. 3. §. fin. de sponsal. impub.* Hodie autem sequimur jus civile, quod quamvis non in omnibus, in plerisque tamen ex auctoritate Medicorum & Physicorum quadrare putat Vinnius *ad. 7. lib. 1. tit. 10. in pr.* Matrimonia etiam senum duabus rationibus improbat Aristoteles, 1. quòd propter nimiam distantiam ætatis, nec parentes multum prodesse liberis, nec hi illis gratiam & officia debita referre possint. 2. quia ex senibus plerumque procreati partus morbofi esse soleant. *Lipsius. ad lib. 3. Annal. Tacit. vid. Sueton. in Claud. cap. 26. & quamvis à Plinio 7. natural. histor. c. 4. & Valer. Max. lib. 8. memorab. c. 14. referatur, quòd valdè Senes procrearint liberos, exempla tamen sunt, & rarò contingentia quæ non probant, nec inducunt consequentiam l. 13. C. de sentent. & inter loc. omn. Jud. vid. DD. comm. ad b. text. præ cæteris Dn. Brunman ad alleg. 13.*

X X I I I. Circa hæc notanda etiam veniunt, quòd fœmina non cogi possit ut cohabitaret cum frigido, propter periculum peccati, quod autem de frigiditate quæ initio fuit accipiendum esse apparet, superveniens namque frigiditas non dissolvit matrimonium, cum initio autem frigiditas adfuit, non potuit esse conjugium, quibus vis generandi in totum adempta, quales etiam sunt Castrati *l. si serva 39. §. 1. de Jur. dot. l. 4. §. 2. ad L. Corn. de Sicar. l. Spadonum 28. ff. de V. S. inter illas autem personas, in quibus impedimentum generandi est temporale quod tolli potest, subsistit matrimonium l. 6. §. 2. ff. de Edilit. Edict. l. 14. §. ult. de man. Vindic. l. 2. §. 1. de Adopt. add. Vinn. ad 7. §. 9. tit. II. & in genere sciendum, ubi cesset finis matrimonii, ibi & ipsum matrimonium l. 39. §. 1. de Jur. dot. Principalis*



autem matrimonii finis sobolis procreatio est *vid. alleg. Vinn. ad §. 1. num. 1. de P.P.* Annumeramus etiam ejusmodi vitii quibus efficiuntur personæ inhabiles ad matrimonium contrahendum, Morbos manifestè contagiosos & insanabiles, qualis est elephantiasis, ubi enim de morbo manifestè contagioso & insanabili probè constiterit, sponsalia prorsus etiam recusantibus id partibus, veluti DEo ipso auctore & ejusmodi promissis intercedente, dirimenda. Hoc enim matrimonium, quis tandem ex bona conscientia impleverit, quo uti non possit, quin & seipsum & Cives cæteros perdat? quin denique liberos ad perpetuam miseriam & commune Reipublicæ detrimentum gignat. *Beza in tract. derepud. & div. p. 96.* Nec aliter se habet in Epilepsia, paralyti, lue gallica, aliisque morbis contagiosis gravioribus, qui si post contracta sponsalia supervenerint, pars altera sana ad cohabitationem & consummationem matrimonii compelli non debet *Carpzov. lib. 2. Jurisp. Consist. def. 180. n. 7.*

X X I V. Defectum animi quod attinet, plus quam manifestum est: Furorem sponsalibus impedimento esse inquit *Cajus l. 8. ff. de sponsal. consensum enim qui in sponsalibus requiritur, præstare non potest, cum neque judicium, neque voluntatem habere præsumatur l. 16. §. 2. ff. de rit. nupt.* An autem furor post sponsalia superveniens eadem dirimat? de eo non satis liquidè constat; in alleg. textibus sententia negans videtur recepta, his verbis: *sed postea furor interveniens sponsalia non infirmit.* Attamen his verbis non obstantibus, placet mihi sententia *Ulpiani l. 22. §. 2. ff. solut. matrim.* quando distinguit inter furorem qui mitior est & intervalla habet, & inter illum, qui vehemens & intratabilis est: Si tantus inquit, furor est, ita ferox, ita perniciosus, ut sanitatis nulla spes superfit, circa ministros terribilis, & forsitan altera persona vel propter savitiam furoris, vel quia liberos non habet, procreanda sobolis cupidine tenta est, Licentia erit compoti mentis personæ, furanti nunciatur mittetur. Quod si Ergo de matrimo-



no per nuptias consummato ita senserit Jctus, quare non idem habendum esset de matrimonio per sponsalia duntaxat inchoato? *Carpz. in Jurisp. Consist. def. 182. n. 12 & 13.* Quod autem furor qui consummato jam matrimonio alterum conjugem corripit, connubii vinculum non dirimat, communis est DD. sententia *Carpz. p. 4. const. 20. def. 11.* Quamvis Leo Imperator putet non suscipiendam esse illam legem, quæ, si post initum matrimonium furore uxor corripiatur, maritum illam perpetuò retinere & furoris incommodum ferre cogit: Ubi enim, inquit, approbetur, ubi rationi consentaneum aut matrimonialis convicius sollicitudine dignum videatur, ut Maritus per totam vitam insanienti uxori alligetur, ejusque sceditatibus conficiatur? Si enim nullus adeò truculentus est, ut vel momento quenquam cum feris in eundem locum includere sustineat: quomodo legis benignitate prædita illa lex, quæ perpetuo efferatæ furore conjugis cohabitare maritum jubet? Cumque præ furore ne vocem quidem humanam à muliere audias, nedum aliud quidquam eorum quæ ad oblectamentum & hilaritatem matrimonium largitur, ab illâ obtineas, quis adeò acerbum horrendumque matrimonium dirimere nolit? Et cum matrimonium si furor præveniat, impediatur, at verò si inito jam matrimonio superveniat, illud nihil lædi dicatur, quomodo hinc ad comprobandum illectemur? si enim hoc in matrimonio spectatur, ut cum utriusque conjugis commodo contrahatur, quomodo qui ne id ab initio tanquam inutile consistat suadet, si postquam initum erit, eadem calamitas existat, non idem ejus compagem tanquam inutilem dissuadebit? An operam dare oportet, ne quis omninò in mali cujusquam periculum incidat, qui verò jam incidit hic sine omni ope relinquendus, ipsiusque calamitatum non miserescendum est? Quod perinde sit, atque si quis priusquam quispiam morbo corripiatur, adhibendum remedium existimet, at jam correptum negato remedio mori sinat: Quomodo Mariti prodigalitas aut religionis diversitas, aut, in naturali consuetudine impotentia &



imbecillitas, aut si quid aliud his connumeratur, quod ad solvendum matrimonium valeat cum furoris calamitate comparari possit? Sed quod post consecrationem disjungendos esse conjuges dicitur, fortasse id nonnullis recto judicio destitui videbitur: quasi posteaquam sacrificio juncti in unum corpus coierunt, non dirimi illos sed junctos lini oporteat: Atqui hæc ratio, dum à conjunctione stare atque illam defendere se putat, quid sibi benedictio velit, ignorare videtur. Hæc enim præstantissima quæque connubio largiri cogitans, pudicitiam indissolubili quodam amoris vinculo conjugis divinciens, propagationem generis & si quid aliud matrimonium jucundum reddit, consecrat. At furori quæso, quomodo cum hoc Sacrificii proposito conveniat? Ubi enim pudicitie integritas, quando mens se ipsam non novit, miserabilique ignorantia infortunio premitur? Unde verò propagatio generis speretur, quum furor spectaculum solo aspectu horrendum, miseræ uxori miseriorem maritum exhibet, nedum ipsi cum illo consuetudinem habere permittit? Quali porrò amoris vinculo colligentur, cum morbus universum hominem atterat & ut quidvis potius, quam homo videatur efficit? His & aliis rationibus adductus Leo sancivit, ut furor eos quoque qui conjugii nexu uniti sunt, disjungat, additâ tamen hæc restrictione, ut maritus quidem furente uxore triennium, uxor verò furente marito, quinquennium expectet. *Const. l. 11. & 12.* Durum sanè & triste remedium! sed ad minuendum majus malum non aliud efficacius suggerit humana ratio. Cui quoque calculum subijcere non abnuerem, nisi vetaret supremi legislatoris Sanctio: *Quod DEUS conjunxit homo non separato.* Sponsalia quævis ob furorem intractabilem & perpetuum ex adductis rationibus merito dissolvuntur, matrimonium non æque *vid: Beza de repud. & dicit. p. 90.*

X X V. Jam ad modum sive formam conjungendi, propter quam illicita sunt matrimonia, progressus faciendus, circa quam formam notandum inter alia, quod duo tantum



conjugendi & non plures: Matrimonium enim dicitur in *1. 7. de P. P.* esse viri & mulieris conjunctio, non virorum ac mulierum. Hinc illa trita alias nobilis quaestio de Polygamia incidit, quam aliquanto prolixius tractare proposui, quâ quaeritur: An Polygamia sit contra jus naturale Gentium & Divinum? circa quam distinguenda est Polygamia: alia enim est quæ fit successivè, & alia quâ simul duo vel plures viri unam vel plures uxores ducunt & ita communionem constituunt, aut vir unus duas vel plures ducit uxores: de posteriori primo loco acturus, nempe quâ uno tempore plures uni conjunguntur, sive plures foeminae uni viro, sive plures viri uni uxori; quæ posterior Polygamiae ratio & generationi sobolis adversatur, & nisi foeminam viris imperare proponas, administrationem domesticam sit eversura. Hanc autem Polygamiam nulli genti usitam fuisse, ex historiis proditum est; præter unum exemplum quando Cæsar, Biritannos duodecim unâ uxore sæpè contentos scribit. *Bodin. de Republ. lib. 5. c. 1. n. 508. & Laonicus de eisdem lib. 2.* suo tempore inquit circiter annum Christi 400. per totam Insulam hunc morem servatum fuisse, ut quando quis amici domum vocatus ingrederetur, prius cum uxore ejus concumberet, in peregrinatione quoque mutuis amicis uxoribus uni. *vid. Euseb. lib. 6. Evangel. preparat.* Altera Polygamiae species, ut plures mulieres uni sint nuptæ, non obest administrationi domesticæ, dum unus vir omnibus imperat, neque generationi prolis, imò per illam plures liberi generantur, ut ex exemplis Patrum, Patriarcharum & plurimorum virorum Sanctorum & moribus plerarumque Gentium discimus Polygamos fuisse, ut legimus de Persis, Thracibus, Pæonibus, Ægyptis, Nalamonibus, Ætyopibus, Garamantibus, Numidis, Maurusiis, Gerbianis & aliis multis populis, ut hodie sunt Turcæ *Euseb. d. lib. 6. Evang. præp. Justinus lib. 14. Salust. de bello Jugurt. Thuan. lib. 18. historiæ. Marcell. lib. 27. Plin. lib. 5. natural. histor. cap. 2. Strabo lib. 17.* Et cum Patres concubitum cum uxore gravida vel lactante improbant *Ambros. cap. 1. Luca. tom. 5 & v. 100.* qui cum prægnantibus uxoribus consuecunt, Sancti uter-



ri secretum incestire affirmant, *Hieronim, advers. Jovian. lib. 1. Tom. 2, vid. alleg. Ambros. in cap. 1. Luc.* Et Divus Hieronimus monet viros ut inmitentur pecudes, neque postquam uxorum venter intumuit, filios perdant, quam sententiam habet etiam Procopius in *Genes. cap. 16. add. Augustinus. de bonis conjugum c. 6. tom. 6.* Hæc si ita sunt, vir pluribus uxoribus sufficet, quamvis hæc sententia Parrum procul dubio multis uxoribus ingrata futura sit, quæ ad instar Romanarum, quarum meminit Macrobius *lib. 1. Saturn. c. 6.* mallent esse nuptæ duobus viris, quam ut duæ uni. Sed cum hæc argumenta & exempla, quorundam opiniones, qui statuunt Polygamiam non esse contra jus naturæ (quam opinionem fovere videtur Grotius *de J. B. & P. c. 5.* quamvis alio loco nempe. 1. *mannud: 3.* iterum contrarium statuat) non satis firmare queunt; propter alias rationes multò illis validiores statuo, Polygamiam esse contra jus Naturale, Divinum & humanum: Communis enim ratio Polygamiam damnat 1. quia summum perfectumque amorem conjugalem esse, rectæ rationi consentaneum est: Polygamia autem mutuum conjugum amorem dividit, uti nec summa inter multos constare potest amicitia, quò enim in plures spargitur, eò in singulos remissioem eam esse necesse est *c. 8. x. de divorce. Arist. lib. 8. Eth. 2.* quia fidem violat, quâ alter alteri sese perpetuâ consuetudinis vitæ obligatione tradit & corpus suum mancipat *vid. Vinnius in Com. ad J. t. 9. §. 1. n. 2.* Quemadmodum enim fidem datam servari naturalis dicitur ratio *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de const. pec.* ita manifestum est, fidem conjugii in solidum datam violare, qui pluribus eodem tempore jungitur. Postremò plurium uxorum consuetudo impingit in Principium illud naturale: Quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris & domesticam turbat pacem, continuamque figit crucem ac jurgia æmulationes ciet; quomodo ex naturali sapientiâ ratiocinatur Euripides in *Andromache*, eaque cultiores orbis gentes præditæ, à Polygamia abstinerunt. Et in *Sacra Scriptura* obvia sunt loca Polygamie evertendæ validissimæ *Genes. 2.* dicit ipse DEUS *propter hoc dimittet Patrem & matrem*

& adhererebit uxori suae & erunt duo in carnem unam; non dixerunt tres vel plures, sed duo, neque uxoribus, sed uxori; & ita in Paradyso sancitum est, ut tantum unius maris & unius feminae esset conjunctio, & ita licentiam Polygamiae damnat Malachias cap. 2. v. 14. & seq. Theologi quoque summi & Haebreæ linguæ periti, uti Junius & Tremellius firmissimis rationibus demonstrat locum ex phrasi haebreæ תָּקַן אֱלֹהִים אֶת הַדָּבָר הַזֶּה, ita vertendum ex Lev. 18. v. 18. mulierem unam ad alteram non assumito, quod approbat Vinnius in Com. ad 7. de P. P. Novo Testamento sapius Polygamia prohibita est, rationesque prohibitioni quamplurimæ in eo continentur, uti 1. Corinth. 7. Monogamia præcipitur iis, qui matrimonium expetunt, non potest enim, inquit Apostolus, unaquæque mulier suum proprium virum habere, si communionem cum aliis in Polygamia habeat; & duo tantum in unam carnem coalescere debent, inquit Matth. c. 19. v. 5. 1. Corinth. 6. v. 16. & ratio Societatis exigit, ut quemadmodum uxor uni viro, ita vicissim Vir uni uxori adstringatur & adhæreat Grot. lib. 1. manud. 3. & licet ante diluuium Lamech primus discesserit ab hoc ordine Genes. 4. & post diluuium Deus in suo populo toleraverit exempla dissimilia primæ institutioni, tamen Christus nos ad primam Institutionem retrahit, inquit Matth. 19. ab initio non erat sic, erant enim duo in carne una: & dicendum quod Exempla Patrum nobis non licentiam concedant Polygamiae, cum & ipsi procul dubio in eo peccarint, quia & ipsi Patres sua habuerunt peccata & calamitates. Philip. in loc. de conjug. nec quælibet exempla Patrum imitari licet, cum non exemplis sed legibus judicandum sit l. nemo 13. C. de sent. & interloc. omnium jud. Errore iudicii non satis eruditæ conscientiæ non vero apertæ improbitate peccarunt patres, cum exemplorum multitudo effecisset, ut peccatum quandam rei indifferentis speciem induisset, quod Deus iis benignè condonavit cap. gaudemus x. de divort. Vinnius alleg. loc. Quod Jus Gentium attinet, testatur Tacitus quod cultissimis Europæ populis semper improbata fuerit. adda. *cap. Augusti contra Faustinos. Manich. lib. 22. c. 47. tom. 6. vid.*

ita



Tacitus de morib. Germ. ubi de Græcis, Germanis & Romanis hoc confirmat. De Jure Civili prohibitam esse, extra controversiam est *l. 2. C. de incest. nupt. l. 7. C. de Jud. & cælic. ut ducens duas pluresve uxores non solum fiat infamis l. 1. ff. de his qui not. in fam. sed etiam pœnâ stupri puniatur. l. eum qui duas 18. C. ad L. Jul. de Adult.* quæ vult ut honestiores puniatur confiscatione dimidiæ partis honorum, humiliores vero cum corporis castigatione relegentur §. *item lex. Jul. 4. §. de publ. jud.* Hodie verò pœnâ capitis plectitur bigamus ex *Constit. Car. V. c. 121.* & ita secundum hanc Constitutionem pronuciari solet in Judiciis.

X X V I. Ut de alterâ quæ successiva appellari solet, pauca pro instituti ratione addam, secundæ & iteratæ nuptiæ ubique ferè permixtæ & tamen apud Ethnicos etiam indigniores habitæ fuerunt *Liv. lib. 10. dec. 1.* & scemina quæ uno contentæ matrimonio fuerunt, coronâ pudicitæ honorabantur: Nam Veteres crediderunt multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimæ ejusdam intemperantiæ signum esse *vid. Valer. Max. l. 2. c. 1.* nihiligitur mirum, si hoc imitari studuerunt Christiani majoris aliàs studiosi perfectionis, qui ut virgines uxoribus, ita viduas secundo nubentibus præstantiores esse crediderunt. *vid. 1. Cor. 7.* cujus quidem sententia à Chrysofomo, Theophilacto & Theodoretho, aliisque unanimi consensu ita accepta & explicata est, & nominatim *Ambrosius ad cap. 7.* Primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimer, secundæ autem & in præsentia carent gloriâ, concessæ autem sunt propter incontinentiam. Quò etiam refertur à Patribus locus Apostolici *Ep. ad Tim. cap. 3. de Episcopo unius uxoris viro*, quam Chrysofomus, Theophilactus & Ambrosius cæterique ita accipiunt, quod Apostolus nolit Episcopum esse, qui secundas nuptias contraxerit, quam interpretationem suadet, tum quod Polygamia simultanea legibus Romanis, quibus tum ferè omnes Populi utebantur, gravissimè fuerit prohibita; tum alter locus ejusdem Pauli *cap. 5. d. Epist.* ubi jubet eligi viduam quæ fuerit unius viri uxor: Ulterius tamen quàm par erat hîc progressi videntur

Cano.



Canonistæ, ad eò ut Presbyterum bigami nuptiis interesse vetarent,
& secundò nubentibus pœnitentiam indicerent; uti patet *ex*
Canon 8. caus. 31. quæst. 1. Nuptiarum quoque repetitio de
jure Civili multùm exosa est: ut mulier transiens ad secundas
nuptias, liberis extantibus, non solum perdat quoad proprietatem,
quicquid à marito defuncto titulo lucrativo, sed etiam
quicquid per successionem filiorum primi matrimonii conse-
cuta est: solo usufructu istorum bonorum apud ipsam remanente
l. 3. §. 1. C. de secund. nupt. cum Auth. seqq. eod. tit. Unde
in *Novel. 22. c. 40.* dicitur, mulierem nuptias repetentem tria
negligere, videlicet DEum, defuncti memoriam & dilectio-
nem filiorum; & in ead. *Nov. 22 c. 43.* *Animam defuncti nu-*
nptiis repetitis contristari inquit Bald. in *l. Deo nobis n. 11. C. de Epise.*
& Cler. Idem in *l. generaliter n. 1. C. de secund. nupt.* Decius
conf. 87. n. 3. & conf. 130. n. 1. quod Dd. etiam ad maritum se-
cundas nuptias contrahentem extendunt per text. in *Nov. 22.*
c. 23. vid. Gail. obs. 98. lib. 2. n. 3. Pœna verò secundis nuptiis
præstituta cessat. 1. si superstes conjux ex voluntate defuncti
secundas contrahat nuptias, 2. quando matrimonium secundum
non est consummatum, quia pœnalis hæc Constitutio est 3.
quando prioris matrimonii filius vel filia matrem instituit he-
redem: per auth. *Ex testam. C. de secund. nupt.* 4. Si mater re-
nubens sit minor, nam quia prohibitio Civilis juris est, & quo-
dammodò contra jus naturale ac Gentium, quo matrimonia
libera, idè minor non continetur sub prohibitione generali
Mænoch. conf. 626. n. 10. 5. Si liberi prioris matrimonii con-
senserint in nuptias secundas, per adducta à Sanchezio *lib. 7.*
disp. 89. De quibus hodiè renubentes sunt minus sollicitæ,
quamvis enim prædictæ pœnæ in quibusdam provinciis adhuc
vigeant, *Rittersh. in Nov. part. 4. c. 5. n. 16.* attamen in pleris-
que & apud nos non videmus hæc jura observari. Unde VVe-
senbecius ad *Schneidvv. rubr. de success. parentum. n. 32.* scribit:
Non vidi servari unquam, nec servandam puto.

X X V I I. Modum contrahendi matrimonia ulterius

D

rius



rius ut consideremus, operæ pretium erit; secundum Leges enim contrahenda sunt, inquit Imperator in §. *iustas*. *§. de nupt.* & inter alia requisita requirit consensum Parentum, quorum in potestate sunt illi, qui contrahere matrimonia desiderant, aded ut velit iussum Parentis præcedere debere, hoc enim fieri debere non tantum Civilem, sed & naturalem rationem suadere contendit; contra officium enim filius facit & graviter peccat, qui sine consensu Parentum nuptias contrahit: Talis enim Parentibus non solum eripit honorem, sed etiam jus eisdem debitum malitiosè intervertit. In Patris potestate est filiam quantumvis stupratam dare vel denegare viro, *Exod. 22. v. 17.* cur non integram & illasam? Nec excludimus hinc Patris crudelis, impij, Ebriosi, prodigi, & pauperis consensum, Nullibi enim distinguunt jura inter qualitates Parentum, sed indifferenter eorundem consensum nuptiis liberorum adhiberi jubent *pr. §. de nupt. l. 11. ff. de stat. homin. l. 16. §. 1. l. 18. l. 35. ff. de rit. nupt.* Quin potius expressè Imperatores Dioclet. & Maxim. consensum Patris, qui filiam exposuit & alere noluit, ad ejus nuptias requirunt *l. 16. C. de nupt.* Lex etiam Divina de honorandis parentibus nullam addit conditionem, sed indistinctè reverentiam & obedientiam Parentibus præstandam à Liberis exigit *Exod. 20. v. 12. Deut. 5. v. 16.* Et quamvis de jure Civili controversum sit, An matris consensus æque ac Patris ad nuptias liberorum requiratur, attamen non dubito id asserere ex Sacro Cadice, Lex enim Divina de honorandis Parentibus Patri matrem disertis verbis conjungit *Exod. 20. v. 12. Deut. 5. Matth. 15. v. 4. Ephes. 6. v. 2. Carpz. jur. Consistor. l. 1. def. 53. & 54.* Jus Pontificium etiam cum jure Civili si inspiciatur, penitus videtur mihi hæc in re perbellè convenire *Dn. Vultej. in Comm. ad §. de nupt. in pr. n. 16. vid. cap. aliter & cap. nostrates caus. 30. quest. 5. Duaren. c. 2. de nupt. ad rubr. solut. matrim. & Vinnius ad §. de nupt. & si invito & clam Patre filia se viro jungit, non nubit sed stuprum committit, & matrimonium de jure Civili nullum est §. si adversus §. de nupt. l. 13. §. 6. in fin. ad L. Jul. de adult.* Ampliatur,



tur, quamvis Parens postea ratihabuerit ejusmodi matrimonium: quia ratihabitio non convalidare potest actum qui initio nullus fuit *l. 68. de jur. dot. l. 13. §. 6. de Adult.*: hinc enim requiritur jussus, cujus natura est, ut præcedere debeat *l. 35. §. 4. ff. de acquir. hered.*, cum autem tacitus consensus non possit præcedere actum, sed concomitari, necessariò sequitur, ut nominatim præcedat consensus Patris, necesse non esse; Intellego autem concomitari, ut Pater sciens nuptias contrahi non contradicat, ignorans autem non potest videri consensisse: quã de causã *in l. 11. de statu hom. & l. 68. de jur. dot.* fit mentio Patris ignorantis.

XXVII. Duobus ergò casibus nullæ sunt nuptiæ 1. si Pater contradicat & 2. si ignoret; Duobus etiam validæ 1. si expressè consentiat, & 2. si sciens taceat; ignorans præsumitur disensurus *Carpzov. p. 2. c. 11. def. 30. n. 10.* sed sciens consentire præsumitur, & non opus est expressè consentire, sed sufficit scire: per supra deducta *vid. alleg. Carpz. d. loc.* Sed quid dicendum, si oblata liberis honestã conditione Pater planè dissentiat, aut si nẽ causa prohibeat filium uxorem ducere filiamve nubere, aut dotem dare nolit? hinc aditus Magistratus partes suas interponet, Patremque causã cognitã coget in matrimonium consentire & dotem dare *l. 19. ff. de rit. nupt. vid. Vinnius ad §. de nupt. n. 4.* nec sufficit, si hunc solum prætextum obtendat quod absque ejus voluntate contraxerint, quamvis eo casu, quando parentibus irrequisitis sponsalia purè & perfectè jam celebraverint, solus contemptus Paterni consensûs sufficientem Parentibus dissentienti causam præbeat. *Heig. p. 1. q. 22. n. 36. Carpz. in Jurispr. Consist. lib. 2. def. 57.* quò etiam referri potest, si liberi turpi & in honestæ personæ sese junxerint *arg. l. sed que. 12. §. 1. ff. de sponsal.* Item tali personæ, quæ non est conveniens dignitati, & familiæ decori *arg. l. vidua 18. ibi; pares sunt genere ac moribus & c. C. de nupt. & consimiles alix. vid. Ritzel Synops. matrim. c. 4. theor. 5. lit. A. & Cothm. resp. 1. vol. 1. n. 228. & seq.* Quoties ergò liberi insciis parentibus matrimonia iniverunt, & res adhuc est integra, neque Parentes in tale matrimonium consentire volunt, & probabiles



dissentiendi causas habent, tum nec illud matrimonium ab ipso
 Magistratu confirmandum sed irritandum est *vid. Ritel alleg. loc.*
lit. B. Bocerus clas. 1. disp. 9. th. 14. lit. A. Ex quibus antè posi-
 tis luculenter patet, Patris consensum jure Divino & humano, pau-
 cis casibus exceptis, necessarium esse *Hahn. in not. ad VVesenb.*
2. de spons. n. 4. An idem obtineat de jure Canonico, multum
 ambigitur. Postquam Concilium Tridentinum anathemate fe-
 rit eos, qui consensum Patris de necessitate requiri existimant;
 Unde docent Pötificii cum multis aliis, de honestate magis, quàm
 necessitate requiri Parentum consensum *VVesenb. in par. ff. de*
rit: nupt: n. 3. & Statutum huic contrarium valere non posse;
Decius in l. 30 ad R. 7. n. 9. Cum præsertim causâ matrimonia-
 lis sit spiritualis pertineñs ad forum Ecclesiasticum, super quâ
 aded Laicorum statuta disponere non possunt, quod notat Feli-
 nus *in cap. Ecclesia: de constitut. n. 59.* Cæterum hæc tanti non
 sunt, ut in communem errorem, nos secum trahant: *Canones*
1. & 3. c. 30. q. 5. & c. 1. caus. 31. q. 2. aded apertè necessitatem
 parentum exigunt, ut hõc irrequisito & deficiente, conjugium
 pro legitimo non agnoscant: Cumque & naturalis & Civilis ra-
 tio suadeat, ut consensus Parentum accedat, consentaneum est,
 utrumque jus rectè inter se convenire & abscedente consensu ma-
 trimonium contractum de facto ipso jure esse nullum *Dn. Vultei.*
in Comm. ad pr. Inst. de nupt: Sed matrimonia contracta jure
 patriæ potestatis non dissolvi possunt, cum utilitas publica com-
 modo Patris anteferri debeat, *VVesenb. in parat. ff. n. 8.* *Beust*
de matrim. p. 2. c. 47. *Harprecht ad pr. 7. de nupt: n. 37. & seq.*
Bocerus. clas. 1. th. 14. lit. B. Auctores Consult. Saxon. lib. 1. de con-
tract. in append. matrim. quest. 13. n. 2. Ubi tradunt: wann die
 Copula erfolgt / daß solche Ehe nicht zerrißen / sondern die Kin-
 der gestrafft werden sollen. *vid. Trentl. vol. 2. disp. 6. th. 4. lit.*
c. Igitur matrimonia non clam, sed palàm coram testibus, ni-
 mirum adhibitis iis quorum interest, contrahi oportet, publica-
 que proclamatio novorum sponsorum quibusdam locis ter, qui-
 busdam semel, eo sine laudabiliter est recepta; ut si fortè impedi-

mentum contrahendi matrimonii inter tales personas subfit, per hoc illud detegatur *Carpzov. in jurispr. consist. : lib. 2. def. 137. Cypraus de jur. Connub. p. 1. c. 10. §. 1. n. 2. & seq.* Ubi plures rationes cumulat, cur clandestinæ desponsationes omnium Gentium moribus, omnique jure sint prohibitæ. Sanè, conjugii dignitas & publica honestas non admittunt, in angulo, remotis arbitris de conjugio tractare: Conjugium namque est DEI ordinatio & pugnat cum puellari pudicitia virgines seipsas despondere, nec carent turpitudinis suspitione, quæ clandestinè tractantur *Gerhard in loc. de conjug. §. 142.* Et quis non animadvertit in commoda, lites inextricabiles, per jura ex clandestinis sponsalibus metuenda? Quam ob causam etiam Ethnici naturam ducem sequuti palàm sponsalia & nuptias faciendas statuerunt, quod Demosthenes his verbis explicat: Neque enim in tali contractu quisquam ullos testes adhiberet, imò his de causis & nuptias celebramus & maxime necessarios invitamus, quod non res levis agatur, sed vita sororum & filiarum alienæ fidei committatur, quæ ut in tuto collocetur, summâ curâ providemus. apud *Cypri. de spons. c. 10. §. 2. n. 2.* Et hæc est ratio: quòd in plerisque ecclesiis Reformatorum sponsalia clandestina, quæ scil. clam arbitris & nullis testibus intervenientibus, fuerunt celebrata, hæud subsistunt nec contrahentes obligant. *Heig. p. 1. q. 22. n. 33. Carpz. in jurispr. Consistor. lib. 2. def. 33. n. 5. & 6.*

X X I X. Sed sicuti liberi non debent contrahere matrimonium sine consensu Parentum, ita contra liberi inviti & dissentientes non debent detrudi in matrimonium à quo abhorrent *l. nec filium. 12. C. de nupt. l. non cogitur 21. ff. de rit. nupt. §. 1. filiofam. 3. ff. de sponsal.* Et sic liberorum consensus magis quam Parentum in matrimonio ineundo attendendus, ne ita inviti detrudantur in quasi servitium, præsertim cum matrimonia coacta difficiles soleant habere exitus *c. requisivis 17. x. de sponsal.* hinc Baldus in *l. neque ab initio. 14. C. de nupt.* allegat Aristotelem, quod omne necessarium sit triste cum fiat cum angustia animi & malus exinde sequatur exitus *add. c. 2. caus. 31. q. 2. vid. Panormit. in*



c. ex literis 10. de sponsal. matrimonialis enim consensus omnis
 coactionis debet esse expers. Covarruv. tom. 1. p. 2. de matrim. c.
 3. §. 4. n. 1. adedque inter nolentes verum & legitimum matrimo-
 nium contrahi nequit l. si Patre 22. ff. de rit: nupt: l. nec filium
 12. l. neque 14. C. eod. Unde matrimonium metu contractum ipso
 jure nullum esse rationis est, etsi aliàs per metum gest. ipso jure
 teneant. & actione quod metus causa rescindantur VVesemb. in
 parat. ff. quod metus causa. vid. Struv. Syntagm. jur. Civ. Excert:
 8. thes. 1. 15. & 26. & coacta voluntas etiam voluntas dicatur
 Bartol. in l. mulier §. si metu ff. quod met. causa. Conjugium ta-
 men planè liberè iniri oportet cap. requisitum & cap. gemma x. de
 sponsal. Beusf. de matrim. p. 2. cap. 44. & omninò matrimonium
 liberum requirit consensum vid. Struv. alleg. loc. Reusner. lib. 1.
 consult. 6. Ritel de matrim. cap. 4. thes. 16. lit. c. Zes. in tit. quod
 metus causa. n. 24. & seq. qui pluribus hæc deducit: add. inter a-
 lios Menoch. lib. 3. presump. 4. n. 1. & seq. Gail. lib. 2. obs. 93.
 n. 1. Beusf. p. 2. c. 44. & Resp. Schraderi ad tit. 7. de nupt. part. 1. n. 56.
 Et ampliatur hoc, quamvis juramento promissum sit cap. signific.
 2. & ibi Panormit. x. de eo qui duxit in matrim. quã polluit in adult.
 Et ratio est, quia 1. matrimonium metu contractum irritum est,
 defectu liberi ac spontanei consensus c. cum locum x. de sponsal.
 At juramentum non supplet defectũ consensus substantialiter re-
 quisiti, ut notant DD. cap. fin. de procurat. in. 6. Præterea quia 2.
 matrimonium coactum prohibetur ob publicam utilitatem, eò
 quod alioquin malè servaretur pax inter conjuges & in Repu-
 blicã, malèque soboles educaretur, at contractus vetitus ob pu-
 blicam utilitatem, non firmatur juramento c. si diligenti x. de for.
 comp. Sanchez lib. 4. disp. 20. num. 12. idque 3. propter summam
 ejus libertatem, quam visum Ecclesiæ in istis permittere pro-
 pter status perpetuitatem, in quo coactio difficilem causaret exi-
 tus vid. Zes. comm. in Decret. de jurej. n. 63. Requiritur autem me-
 tus adhæc, ut sit metus majoris mali, qui etiam in constantissimum
 hominem cadat l. 5. & 6. ff. quod metus causa. l. 9. cod. l. 3. in fin. ff. ex
 quib. caus. majores. Menoch. p. 2. c. 135. n. 3. uti & metus cruciatus

cor



corporis. cap. cum dilectus 6. & ibi Panorm. x. de his qua vi me-
tusve caus. Item vulnerum, Verberum, servitutis, carceris & si-
milium cap. accedens 17. & ibi Dd. de his qua vi & c. Item metus o-
mnium vel majoris partis bonorum amissionis cap. Abbas 2. x. de
his qua vi metusve caus. Mascard. conclus. 155. n. 54. Covarruv.
c. 3. §. 4. n. 30. & seq. Qualis autem metus sufficiens sit, relinquitur
arbitrio judicis vid. Gail. lib. 2. obs. 92. n. 7. & seq. Schrader ad
Tit. 7. de nupt. n. 57. & 58. Manoch. lib. 3. pres. 4. n. 3. & lib. 2.
arbitr. jud. quest. cas. 15. in quo etiam sexus fragilitas attenditur
& in fœminâ minor metus quam viro admittitur, vid. Ritel Sy-
nopf. matrim. c. 4. th. 16. lit. G. metus autem semel illatus semper
durare præsumitur l. si per impressionem C. quod met. caus. nec me-
tus reverentialis præsumitur Bartol. in l. 1. §. qui oneranda & in l.
ad invidiam C. quod met. caus.

X X X. Et cum consensus faciat matrimonium, nullum
dubium quin Error illud ipsum vitiet, consensui enim nihil ma-
gis repugnat quam Error l. si per errorem 15. & ibi Jason. ff. de jurisd.
omnium jud. l. 2. ff. de judiciis. & errantis nulla est voluntas seu con-
sensus l. 8. & 9. C. de jur. & fact. ignor. quod tamen fallit, si sponsus
sponsam post eompertum jam errorem cognoverit, eo ipso enim
eam de novo approbasse præsumitur & ita consensisse videtur cap.
preposuit 2. & ibi Panormit. x. de conjug. Sev vor. Covarruv. tom. 1.
de matrim. p. 2. c. 34. Beza de repud. Error autem vulgo quadru-
plex statuitur circa matrimonium, Personæ, fortunæ, conditionis
& qualitatis, Beust. de matrim. p. 2. cap. 34. in pr. Vultej ad pr. l. de
nupt. n. 25. in fin. Rursus quilibet ex his erroribus est duplex: 1. An-
tecedens, qui dat actui causam, ita ut ex eo errore ducatur agens, &
nisi præcessisset voluntatem, Actio non secuta fuisset, indeque er-
ror iste facit actum involuntarium. 2. concomitans, qui actum
concomitatur ita ut non sit illius causa, sed etiam si abfuisset, actio
tamen secuta fuisset. Et hic error non efficit involuntarium;
quod non sit causa alicujus repugnantis voluntatis, quare per
accidens se habet ad actum; at efficit non voluntarium: quia
non potest esse actu voluntum, quod ignoratum est. His præ-
sup.



suppositis concluditur: Errorem Personæ antecedentem, i. e. qui
 causa est ut matrimonium iaceatur, aliâs non ineundem, dirimere
 ipsum. Matrimonii enim contractus per se primò respicit indi-
 viduas personas, mutuam corporum traditionem præstantes, ubi
 autem error intercedit circa substantialia, nempe circa corpora
 tradita, errantis autem nullus sit consensus nec voluntas *l. non id-
 circo C. de Iur. & fact. ignor.* matrimonium subsistere nequit.
 Quando autem Error Personæ est concomitans, quia contrahens
 cum Maria existimans eam esse Catharinam, ea voluntate affectus
 erat, ut cognitam Mariam æquè libenter aut libentius duceret, ex-
 istimari posset validum esse matrimonium: Attamen eo casu li-
 cet error non faciat simpliciter involuntarium, facit tamen non
 esse voluntarium, cum licet non desit voluntas ducendi, si nosset,
 non tamen duxerit; nam cum ignoravit eam esse, non potest vide-
 ri in eandem consensisse, quia nihil volitum nisi præcognitum
Zxf. in comm. ad Decret. de conjug. serv. in. 6. Sanchez. lib. 7. disp.
18. n. 4. & 5. Error quoque circa matrimonii qualitates, quodam-
 modo pertinentes ad essentiam matrimonii, qualis est error circa
 potentiam generandi, aut necessitudinem, puta si ignorabatur esse
 amita aut soror cum quâ contractum est *Vinnius Comm. ad 7. de*
nupt. in pr. verb. consensum habeant parentum, vitiat matrimoni-
 um *Siruv. Syntag. Jur. Civ. Exercit. 29. n. 25.* Nominis verò so-
 lius error si de corpore constiterit, non vitiat matrimonium *l. 7.*
id. 22. & l. si in nomine 32. ff. de V. O. l. 9. §. si in nomine ff. de con-
trah. empt. Coëterùm non levis occurrit difficultas in errore cir-
 ca virginitatem, Num hæc referri debeat inter qualitates recensi-
 tas, & Error circa eandem, eundem ad matrimonium impedi-
 dum vel dirimendum operetur effectum? Equidem non Ample-
 ctor sententiam Arum ei, quando *Disp. 15. §. 6. num. 3.* statuit.
 Errorem circa virginitatem esse errorem in substantiâ matri-
 monii, Virginitas enim non est de substantiâ matrimonii,
 tum quia cum corruptâ consistere potest, tum quia aliâs se-
 queretur, secundas nuptias ejus, quæ ex priori viro pepe-
 rit, veram matrimonium non esse. Attamen in eorum Ca-
 stra



stra lubenter transeo, qui censent virginitatem esse qualitatem intrinsecam matrimonii: Cum enim copula extra conjugium sit illicita, adeòque virginitas ad matrimonium usque servanda & quasi tacite de illa matrimonium ineuntes sibi invicem dent fidem, hinc meritò sponsus à sponfa & vice versà sponfa à sponso virginitatem exigit. *Struv. in Syn. jur. Civ. exerc. 29. §. 25.* nimirum qui cum virgine contraxit non nisi in virginem censensit & castitatis conditionem tacite sub intellexit *c. 25. x. de iurei.* at deficiente aliquâ conditione matrimonii generaliter sub intellectu, deficit quoque conjugii promissio: sicut enim aliæ conventiones ita & conjugium implicatur clausulâ (rebus sic stantibus) *l. 38. ff. de solut. Carpzov. in iurispr. Consist. lib. 2. def. 193. n. 12.* Quomodo enim vera sponsalia sunt, in quibus nihil verum neque genuinum conspicitur, ubi meretricium se offert scelus, ubi causæ sunt dissidiorum & odii, ubi animorum alienatio, quomodò ibi matrimonialis concordia, quomodò purus sponsalisque est amor? quin ut quisquam alterius fœrum subjiciat, id verò ratio non patitur inquit prudentissimus *Leo Nov. 39.* Optima igitur est nonnullorum Theologorum atque Jætorum regula. Quod vitiatum nemo invitus cogatur ducere vel retinere, modò de amissa virginitate & vitio illato satis constat. *Hahn. in not. ad VVe-senb. t. de rit. nupt. n. 6. vs. Quanquam Theologi &c.* Impedimentum dirimens quoque est error circa personæ conditionem, ut quando quis putat se contrahere cum personâ liberâ quæ est serva, qualem contractum post *Leges Civiles Nov. 22. c. 10.* Ecclesia declaravit irritum, propter errorem circa statum qui gravior est & omnem consensum aufert *c. 7. & fin. x. de conjug. serv.* & nihil refert, servitus perpetua sit an temporalis, cum satis sit eam pro eo tempore servam esse, etiamsi promissa sit libertas aut debita, quo modo statuliber inter servos refertur *l. 9. ff. de stat. lib.* Error autem fortunæ e.g. quando quis contrahit cum paupere quam putat esse divitem, cum talis error ad substantialia matrimonii nihil pertineat, non dissolvit matrimonium, quando scil. purè contractum *cap. iii, caus. 29. q. 1.* secùs cum sub conditione quis

E

con



contrahat cum alio, veluti si tot aureos dederis in dotem, nam
 tali conditione appositâ & non purificatâ non tenetur consumma-
 re matrimonium *cap. de illis. 3. x. de condit. appof.* Ubi tamen sub-
 stitutum, errorem qualitatis seu dolum antecedentem, qui in-
 eundo matrimonio causam præbet aliâs non ineundo, illud impe-
 dire; E. gr. si qua se divitem aut nobilem mentiendo induxerit
 virum ad contrahendum secum nuptias, quod imprimis procedit
 quando nobilis quis, qui vel per prohibitionem statuti, vel ci-
 tra dedecus suæ familiæ non potest ducere plebejam, ex errore vel
 ignorantia vel tali modo potius dolo inductus, ignobilem duxerit
 pro nobili, qualis error ipsimet consensui obstat, & matrimonium
 vitiat, nisi concubitus subsecutus fuerit, *arg. cap. 2. & fin. x. de con-
 jug. serv. Paul. Cypr. de iure connub. c. 13. §. 36.* Matrimonium
 autem consummatum ejusmodi dolo non dirimit quamvis de-
 dit causam matrimonio 1. quia *in c. cum in Apostolica x. de sponsal.*
 deciditur, matrimonium non irritari ex mendacio & subreptione
 ad ipsum inducentibus; ut exponunt ibi Pano mit. *n. 2. Proper. n.*
2. Alexand. de Novo. n. 3. & quia 2. licet omnis error sit causa in-
 voluntarii: at non omnis efficit involuntarium simpliciter, sed
 is solus qui est circa qualitatem per se & ex natura rei, requisitam
 ad ipsius contractus essentiam: at dum qualitas se habet per acci-
 dens, solum involuntarium secundum quid confurgit: & ratio
 hujus est; Quippe cum nihil sit volitum, quin præcognitum,
 quando error est in apprehensione rei non necessaria ad essentiam
 contractus ipsiusque finem, sed in accidenti quodam, efficit ut
 contractus sit voluntarius quo ad essentiam, ac proinde talis sim-
 pliciter involuntarius secundum quid & quantum ad accidens il-
 lud, in quo versatur error. Sanchez *lib. 7. disp. 18. n. 18.* quam-
 vis autem exinde concludi videretur nec sponsalia de præsentibus ob-
 has adductas rationes impediri: Nam quoad effectum consortii
 ac societatis indissolubilis, nulla planè existit differentia inter
 sponsalia & ipsum matrimonium *Carpz. jurispr. Conf. lib. 2. def. 65.*
n. 9. At tamen si eodem modo attestante Sponsalia non sunt ipsum
 matrimonium, aut si omnia sunt pro inchoato tantum matri-
 monio

monio non consummato habentur: Estque inter sponsalia & ipsum matrimonium perpetua hæc differentia, quæ est inter promissionem & promissi exhibitionem, inter spem & rem *Idem jurispr. Conf. lib. 2. def. 100. n. 10. & seq.* ambigendum non est; quod sponsalia facilius & pluribus ex causis per repudium, difficilius autem nuptiæ per divortium dissolvantur. *idem Carpz. d. loc. lib. 2. def. 179. n. 11.*

X X X L. Postremò Coronid's loco sciendum, quod ubi deest finis matrimonii, & ipsum matrimonium cesset & illi iustum sit, cum conditio de evitandâ generatione sobolis ipsimet substantiæ matrimonii repugnet ac proindè ipsum conjugii contractum vitare dicatur. *cap. aliquando 7. caus. 32. q. 2. Schrader ad p. 2. n. 107. de nupt. & sic finibus conjugii primariis & adæquatis deficientibus, bono nimirum prolis operis & fidei, ipsummet etiam conjugium deficere necessum est; arg. cap. omne itaque 10. caus. 27. q. 2.* Causa enim finalis quoad intentionem omnium causarum prima & optima esse censetur *Arist. lib. 3. & lib. 6. topicor. item lib. 1. Eth. c. 1.* estque fons causarum *Socinus conf. 165. n. 21. v. 2. Baldus in l. eam n. 1. C. de fideicommiss. maxima qualitas actus Baldus in auth. presente n. 3. C. de fideiuss. eademque totam dispositionem regere & gubernare dicitur, quæ cessante ipsa & dispositio seu actus etiam corrumpit arg. l. ult. ff. de test. tut. l. 1. §. secundo loco. 6. ff. de postul. Glossa. in l. generaliter 40. in verb. derelictis C. de Episc. & Cler. Tyraquel. in tract. cessante causa finali. per tot. VVesenb. conf. 16. n. 5. lib. 1. Rauchbar lib. 1. quest. 38 n. 15.* Quotuplex autem sit finis conjugii de eo inter DD. non satis convenit: aliqui tres, aliqui quatuor, alii plures ejusdem statuunt; uti Casparus Pezel. *de matrim. p. 70. thes. 5. Menzerus in tract. de conjug. rubric. de causa finali conjugii: Menoch. lib. 2. arbitrar. jud. quest. casu 420, n. 56. & 57. VVesenb. in parat. ff. n. 6.* Non equidem nego aliquandò propter divitiarum honores & pulchritudinem multa matrimonia contrahi, quæ tamen causæ ut sunt impulsivæ, si causa finalis præcedat, conjugium non vitiant, *Covarruv. tom 1. part. 2. de matrim. n. 27. cap. tua. x. de*



sponsal. Sed cum post lapsum generis humani non tam sobolis
 procreandæ, quam libidinis vitandæ gratia conjugium inrelic-
 tum sit *i. ad Corinth. 7. v. 2.* Nuptiarum enim bonum semper
 quidem bonum est, sed in populo DEI fuit aliquando legis obse-
 quium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam verò huma-
 nitatis solatium *c. 41. caus. 27. q. 1. & cap. solent quari 6. caus. 32.*
q. 2. Covarruv. tom. 1. p. 2. de matrim. in præf. Itaque secundus
 finis matrimonii est evitatio libidinis *cap. solet 6. caus. 23. p. 2. ja-*
son in l. sed est questum ff. de lib. & posth. Ut ut enim maxime
 conjugium primariò propter generationem proli à DEO institu-
 tum sit, attamen secundariò etiam & sub eadem intentione ad e-
 liminandum illicitum motum confert, & infirmitas prona in ru-
 inam turpitudinis, honestate conjugii quasi tegitur & venialis red-
 ditur. Quod à D. Hieron. *in eap. 5. Epist. ad Ephes. sequentib. verb.*
relatis in cap. 2. caus. 32. q. 2. eleganter & nervosè expressum est.
 Quod verò de venere moderatâ intelligendum est, cum in con-
 jugio etiam observanda sit sra castitas conjugalis, & in con-
 cubitu cum uxore institutio Divina attendenda debitaque mo-
 deratio adhibenda. De quibus legatur. *Tyraquel. ad L. Con-*
nub. 15. glossa. 1. p. 15. num. 170. cum nimium vertatur in vitium
 & mediocritas tanquam aurea in omnibus ferè rebus optima es-
 se existimetur *Arist. l. 4. de hist. anim. c. 2.* nihil enim magis virès
 corporis atque animi debilitare, frangere & labefactare potest,
 quam superflua & immoderata libido: inquit *Arist. l. 7. de hist.*
anim. c. 1. & Colum. l. 7. c. 6. de longit. & brev. vit. Finis ter-
 tius est societas individua, usque aded ut uxor maritum suum alibi
 commorantem sequi teneatur, matrimonium enim non tam cor-
 porum quàm animorum conjugum communicationem, indivi-
 duamque vitæ consuetudinem inducit. *Genes. 2. v. 24. Matth.*
19. v. 5. & 9. Marc. 10. v. 8. Ep. ad Corinth. 6. v. 15. vid. And.
Rauchbar. lib. 2. q. 20. n. 23. Paris. conf. 54. n. 8. lib. 4. Et ma-
 trimonium illud saltem ratum & legitimum statuitur, quod inter
 Christianos more fidelium contrahitur, vinculumque parit indis-
 solubile *cap. quanto, 7. v. nam & si matrim. & ibi. Panorm. &*
Felin. n. de divorc. p. 2. de matrim. c. 1. §. un. n. 4. Covarruv. tom.
1. p.



1. p. 2. de matrim. c. 1. & matrimonium est Divini & humani juris communicatio l. 1. ff. de rit. nupt. l. ex. diverso. 17. §. 1. eod. Schrader ad 7. de nupt. p. 2. n. 161. & quod hic finis etiam attendatur in matrimoniis exinde probatur, quod multoties usu veniat, ut personæ profus steriles & senes, penes quas nulla penitus spes proli esse potest, matrimonio copulentur, quæ tamen matrimonia nostro jure rata sunt l. sancimus ubi. Dd. C. de. nupt. Iason. in. l. 1 §. 43. ff. solut. matrim. & in l. sed est questum ff. de lib: posthum. & matrimonium etiam in ipso articulo mortis valet. Panormit. in cap. commissum. x. desponsal. adeoque tam secundarii fines quam principales considerandi, quod adeo verum est, ut vel consuetudo in contrarium non admittatur; sicuti etiam pacta talia inter conjuges inita pro nullis reputantur. vid. Schrader. ad. 7. de nupt. p. 2. n. 140. Farinacens oper. Crim. lib. 4. tit. 16. quest. 143. n. 166. Tiraquell. de LL. connub. gloss. 1. p. 1. n. 39. Beust.

De jure connub. p. 2. cap. 32.



Consortes thalami perlustras, lemmate docto
 Contextens seriem, qua vocat atque fugat
 Conjugii cupidos: rem magnam cuspide penna.
 Depingis, quæ non altera præstat opus
 Majus! Connubium reparat, quod leihifer ictus
 Factorum necuit, perpetuata salus
 Hosque manet, qui lege reguntur connubiali.
 Ast Venus effrenis sacra tori maculans
 Excludit pullos turpes, turpemque ruinam
 Publica res sentit per vetitos coitus.
 Ergo laudæ facis dignum Doctissime VVestarpff
 Dum monstras legem, quam socialis amor
 Prefixam teneat: mernisti premia, ferta
 Qua capiti imponet mox Themis alma tuo.
 Honoris ergo gratulabundus
 appoluit

Martinus Gottschald/D.
 & h. t. Reçtor.



ERgone tu *veritas* spargis, *Westarpsie*, *redas*
 Impiger *illicitas* ire redire vias?
Nil tentasse nocet: nil prælibasse nocebit,
I, licet, & licitas, illicitasque dapes.
Si lubet, ecce licet, codici, quæ mellea subline
Fercula prætenta non mevente manu.
I, licet, I, perrumpe moras, digitoque sagaci
*Explicet optatum sacra *Sophia* linum.*
Sic licet illicito ad licitam decurrere metam
*Tramite & *Illicitas* has licet ire vias.*
*Sic geminus *Neonymphus* eris, *Westarpsie*, tandem,*
*Et *Themis*, & dulcis *serta Rosetta* dabit.*

HENR. VAGEDES Prof. Eloq.
 Ord. Hist. Extraord.


DUm tuba terribili sonitu irarantara dicit
 Perque vias clangunt classica perque domos;
 Dissulant fremitu colles & ferrea late
 Pondera sulphureis ignibus acta volant.
 Attamen Ingenium Divinum & pectoris ardor
 Nescit in obscuro degener esse loco
Westarpsie das exemplum qui pallade fretus
 Impiger ad superos, ut *Jovis* ales, abis.
 Quo pede crepisti sic pergito scandere ad astra,
 Auxiliante Deo, fama perennis erit.


J. F. Wipperman.


Die Lieb' erwirbet Lob! wenn Hertz und Mund beysonnen/
 Wenn dieser deutlich spricht was jenes treulich meint/
 Und Liebe wird verflucht / so Gott und Menschen feind/
 Wann zueh gepaaret sind in ungetrenten Flammen.
 Diß stellest du uns vor durch deine kluge Stunnen
 Herr *Westarpsie* / diese That erhebt dich Himmel an/
 Die *Venus* ist bedacht zu weisen jederman
 Daß Sie dir gütlich sey. Wir rühmen dein Beginnen.
 In Bezeugung stetwehrender Liebe und ungesärbter Freundschaft
 legen diese

besse
 Sämptliche Tisch-Genossen.


F I N I S.











ere illa noluit, quod alibi significa-
diuinarum antistiti plane hoc dari
d aeterna hominum saluti intentus
romoueret omni studio. Post Gre-
tempora, quando maior pontificum
cepisset in Imperio, alibique pas-
dos quoque equestres, ex peculiari
i particulam esse voluerunt, *quasi*
num, & pericula animarum proueni-
n inficiari haut licet, in torneamen-
am ferie abreptos fuisse sapius, qui
non debebant, nec pauca ipsorum
nti annumerare possemus. Nulla
raua intentio, non cadis, sed virtu-
m iam pridem, ne imparati ad lu-
diligentissime sibi prospicere tene-
stri, de viatico caelesti. Goldastus,
ritutionum, ad annum *1303 ccc xxxiix*, p. m. 121,
, sub sacramenti violatione, aere e-
se immittat, qui non prius expiaue-
& DEO se reconciliauerit. Atque
ε παρασκευης, velut ex regula, obti-
ennibus, ac necessaria erat, quia e-
erunt antiquius, quam viuere iuxta
& iura consueta. Neque dubitan-
er ita prodierint instructi ad certa-
quod & ante praelia in bellis, pari
sacramenti adhiberent. Sic vero
e, torneamenta publica, & qua au-
m instituebantur, nec pontificum
nia impediri potuisse, quemadmo-
Guelfico, Coloniensi Florentii co-
Bb 3 mitis

c. r. felic.
X de torn.